ANGELO FUSINATO

CONCORDIENSIS ECCLESIAE

REGIMEN SUSCIPIENTI

STEPHANUS AGOSTINI

ELEGIA

Siccine dividimur? Sic me, dulcissime, linquis,
    Quem certus dudum consociavit amor?
Hei mihi! Qui docili tecum advigilare juventae
    Jussus eram, atque gravi fungier officio (1),
Tam cito debueram fido caruisse sodali,
    Destituique tui lumine consilii?
Te duce, seu rabidas vitaret cauta procellas,
    Seu mea pacatis cymba volaret aquis,
Securus poteram tuto requiescere portu,
    Aut propere optatam tangere sospes humum.
Quae tibi vis mentis! Doctrinae quanta supellex!
    Qui mores! Quantae Religionis opes!
Non sic diversis locuples e fontibus amnis
    Fecundum gaudet ferre per arva pedem,
Ut tua multigenae cumularunt pectora merces,
    Unde fluit variis copia magna locis.

Non egomet mendax, veteri nec caecus amore.
    Praedicat eximium conscia musa decus.
Gregorii Sedes, studiisque addicta Juventus,
    Et Grex, atque pii, lecta corona, Patres (2),
Vos mihi praeclarum tantae virtutis honorem,
    Factaque magnanimi commemorate viri.
En sophiae pulcras sociare fideliter artes,
    Ac potis ingentes fundere divitias
Nunc cupidam per amoena vocat viridaria pubem,
    Nectit et industri florea serta manu.
Nunc celebrem scandens plausu resonante cathedram
    Vim legum, ac Templi jura verenda docet.
Fama renidet ovans: laetis doctrina triumphis
    Conspicuum late pandit honesta jubar.
Ast alias fecunda magis manet area messes,
    Cultoremque novum fertilis optat humus.
O fortunatas, custos queis pervigil adstat,
    Suppeditatque cibum providus altor, oves!
Non illis lupus insidians, nec pestifer anguis,
    Non fons corruptus, prava nec herba nocet.
Scilicet impatiens, atque omnibus omnia factus
    Noctes atque dies undique pastor adest.
Pastor adest, stygiae qui fraudi cedere et irae
    Nescius incolumem sospitat usque gregem.

Jam morbos sanat, teneros jamque educat agnos,
    Ac docet aetheriam duxque comesque viam.
Fallor, an exesi devolvens fragmina montis
    Frugiferos torrens depopulatur agros?
Pro rerum facies! ingens augetur egestas:
    Pabula jam desunt: jam fera saevit hyems.
Qui tibi, Pastor, erat cernenti talia sensus?
    Quam pius excruciat corda paterna dolor!
Haud mora: multiplici collecta cibaria sumptu,
    Distribuitque suas indigus ipse dapes.
Talibus insigni meritis, et plura paranti
    Olli major honos, grandius adstat opus.
Cernitis? Euganei partem lumenque Senatus
    Horto Gregorius praeficit ipse suo.
Ut laetae hoc crescunt felicius auspice plantae!
    Quantas dives ager pollicitatur opes!
Nequidquam horrificans bacchatur in aethere nimbus,
    Ac minitat violens damna repente notus.
Cultor namque sagax, caelo confisus amico,
    Servat inoffenso germina lecta solo.
Tunc olet irriguum pulcro mage flore viretum,
    Majus et euganea fulget in urbe decus.
Tunc pia respondent vigilanti vota Modesto,
    Ac nova spes Templo ridet et Imperio.

Caesarei interea pietas certissima cordis,
Quae par virtuti, justitiaeque nitet,
Cernens insolitis rutilum splendoribus astrum
Gregorii incolumem praeradiare domum,
Pontificum meritos illi designat honores,
Muniaque augusti magna ministerii.
Ausonia applaudit nato: canit alma triumphum
Religio: inferni contremuere lacus.
Parce gravi tandem, Concordia, parce dolori,
Ploratumque diu desine flere caput.
Ecce fidem effuso testati sanguine Divi,
Hujus fama ingens, praesidiumque loci,
Obtulerunt tua vota Deo, pulsisque tenebris
Laetificum viduae restituere jubar.
Ut resonat circum festivis plausibus aether!
Quanta renidenti gaudia fronte micant!
Quem summi vox certa Pii, caelique potestas
Dignantur sceptro pontificale virum,
Jam pater adproperat dulces invisere natos,
Et sibi commissas pascere pastor oves.
I memor o nostrum: puri pax aurea cordis
Sit comes, inque hilari rideat ore salus.
Ast ego, tam carum cui sors abducit amicum,
Conquerar heu! damnum nocte dieque meum.

Interea latias, animi oblectamina, musas
    In patriis jubeam concinuisse jugis.
Hae mihi monticolam referent ab origine gentem (3),
    Et studia et mores, ingeniumque loci.
Nunc armenta sequi vastis errantia pratis,
    Et pecudum varias noscere progenies;
Nunc hominum cupient opera, atque invisere coetus,
    Inter et agrestes comiter esse dapes.
Usque vagae rudibus sistent spectacula ludis
    Mulcentes laeto seria saepe joco.
Te quoque, diversis quamquam veneratus in oris
    Mitram fronte geras, sceptraque sacra manu,
Ne pigeat facilem praebere canentibus aurem,
    Et vultu curas exhilarare meas.
Tunc ego virtutes volitans sublimius ausim,
    Pontificisque novum concelebrare decus.

ADNOTATIONES

(1) Cum illo Seminarii Rectore Praefectus Studiorum.

(2) Fuerat alumnus, et professor nostri Seminarii; deinde jus canonicum docuit in hoc Archigymnasio; postea Fonzasii Archipresbyter, et mox ejusdem Seminarii Rector, ac Cath. Eccl. Pat. Canonicus Dec. fuit.

(3) Innuitur poematium de praecipuis moribus Septem-Communium eidem Episcopo dicatum.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1851.